



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**De Moralitate, Natvra, Et Effectibvs Actvvm
Svpernatvralivm In Genere Et Fide, Spe, Ac Charitate,
Speciatim**

Coninck, Gilles de

Antverpiae, 1623

Dvb. VI. Quibus danda sit eleëmosyna?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79645](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79645)

eiufue nomine ad liberos mortuo marito reditum est. Sed merito alij hac in re ei contradicunt; est enim aperte falsum: quia istorum bonorum tam vsum fructus quam dispensatio ad maritum pertinet, quibus ipsum vxor per eiufmodi eleemofynarum distributionem iniuriose priuaret. Posset tamen hac sententia habere ex parte locum, quando maritus bona communia dissipat, ea in computationibus, luxuriis, aliisue rebus inuilibus immoderate expendendo; qua in re cum aperta vxori faciat iniuriam, hac potest tantumdem ex bonis communibus clam surripere vt se indemnem seruet, & hoc sibi seruare, aut etiam in pias causas ex parte aut totum expendere; nisi necessarium sit ad suam suorumque sustentationem, qua proles non potest priuare. Vide Lessium de Iustitia c. 12. dub. 14. n. 87. & Petrum Nauarrum lib. 3. de Restitut. c. 1. n. 114.

Quid liceat vxori si maritus bona prodigè expendat.

Lessius.
Pet. Nauarr.

58
Quid liceat filiofamilias.

Lessius.

59

Lessius.

60
Quadruplicia bona filiofamilias.

61
Quid liceat pupillo aut minori.

Sequitur Septimò, filiumfamilias ex bonis castrensisibus aut quasi castrensisibus posse omnino liberè facere eleemofynas: quia horum tam dominium quam dispensatio ad eum pleno iure pertinet. Quod maximè locum habet in puberibus; nam impuberes in donationibus ob iudicij imbecillitatem magis restringuntur: quare his non ita facilè permitterem dare magnas eleemofynas sine consensu eorum quibus subsunt. Vide Lessium de Iustitia c. 18. n. 78.

Ex bonis verò aduentitiis & profectitiis filiusfamilias potest dare eleemofynam. Primò, ex iis, quæ parentes ipsi concedunt ad honestas recreationes, aut vt ea pro libitu expendat. Secundò, quando versatur in studiis, aliaue ex causa degit extra domum parentis, ex tacito huius consensu, ex iis quæ ipsi ad sustentationem à parente dantur, potest facere moderatas eleemofynas, sicut alij eiufdem sortis facere solent: nam, vt ostendi n. 47. etiam Religiosi extra monasterium versantes possunt hac ratione facere eleemofynas. Vide Lessium de Iustitia c. 12. dub. 13.

Vbi cum eodem c. 4. dub. 3. Nota, filiumfamilias habere quadruplicia bona. Primò, castrensia, quæ ratione militiæ accipit. Secundò, quasi castrensia, quæ ex beneficiis aut ratione publici officij non mechanici, v.g. iudicis, aduocati, notarij, &c. aut ratione professionis artis liberalis, accipit: & horum tam dominium quam dispensatio ad ipsum pertinet. Tertiò, aduentitia, quæ ei nec ex causis iam dictis, nec à parente aut eius intuitu proueniunt: quorum dominium ipsius est, vsum fructus & dispensatio parentis. Quartò, profectitia, quæ ei à parente vel eius causa proueniunt: quorum filius solum habet vsum ea ratione qua ei à parente conceditur. Vide plura apud Lessium.

Sequitur Octauò, pupillos & minores in dandis eleemofynis, præsertim magnis, pendere à consensu suorum tutorum aut curatorum; nam etsi sint absolute domini suorum bonorum, tamen in eorum administratione pendunt à consensu tutorum. Dixi præsertim magnis, &c. quia vt dent moderatas, & quales alij eiufdem secum sortis solent facere, quæque sine notabili incommodo rerumue suarum diminutio-

ne fieri possunt, tutor & curator censentur, imò etiam tenentur consentire; & si agatur de eleemofynis dandis ex bonis castrensisibus aut quasi castrensisibus, minores præsertim in his nullo modo pendunt à suis curatoribus. Vide Lessium de Iustitia cap. 18. dub. 11. & Lorcam 2.2. l. 3. disp. 36. n. 10. Vbi etiam n. 11. citans Paludanum, Armillam & Azor, notat tutorem posse nomine pupilli ex eius bonis facere moderatas eleemofynas. Quod probabile est quando id sine notabili pupillorum incommodum sit. Quando tamen pupilli vtuntur sufficienti ratione, tutius hoc cum eorum consensu fit, imò multò conuenientius est vt tutores incitent pupillos vt per se huiusmodi eleemofynas faciant ex tutoris directione. & hisine dubio habent ad hoc aliquid ius, si id ita fieri velint: quia hoc ius vtilius est; nam hoc modo magis merentur, & piorum operum exercitio assuescant; & etiam ad eorum honorem & decentem sustentationem pertinet.

Quod autem attinet ad prodigos, quibus datus est curator, eadem eorum est ratio atque aliorum sub curatore constitutorum. Illi autem, qui commiserunt crimen, ob quod eorum bona sunt de iure confiscata, quamdiu hæc ipsi per sententiam eiufque executionem non auferuntur, possunt ex iis dare eleemofynas sicut prius; quia tam diu retinent eorum vsum & possessionem, possuntque iis sicut antea frui. Ita Suarez lib. 5. de Legib. c. 8. n. 5. Vasquez 1.2. disp. 170. c. 3. vbi plurimos citat, & colligitur aperte ex cap. Cum secundum, de hæreticis, in 6. vbi hæreticorum bona decernuntur ipso iure confiscata; & tamen principes prohibentur ea de facto dominis eripere ante sententiam declarationis criminis. Lata tamen sententia, potest princeps omnes donationes, sicut & alias bonorum alienationes post commissum crimen factas reuocare, præsertim quando sunt magni momenti; quamdiu tamen non reuocantur, valent, vt docent Auctores citati.

D V B I V M VI.

Quibus danda sit eleemofyna?

Respondeo, dandam esse pauperi siue indigenti. Per se patet, quia datio eleemofynæ, vt ostendi supra, est opus misericordiæ; hæc autem propriè est voluntas subleuandi alienam miseriam; & consequenter vt aliqua donatio sit vera eleemofyna, siue datio eleemofynæ, debet esse subleuatio miseriarum alienarum; atque adeò debet fieri iis qui aliquam miseriam siue necessitatem patiuntur.

Vt autem tota res hæc sit clarior, Notandum est triplex esse genus pauperum. Primò enim quidam sunt omnino inuoluntariè pauperes, quales sunt Religiosi, qui ex amore virtutis & vt Christum perfectiùs sequerentur, se omnibus diuitiis exuerunt. Tertiò, aliis paupertas quidem est inuoluntaria secundum se, quia eam planè oderunt, & cuperent habere diuitias, si eas sine labore consequi possent; est iis tamen volun-

voluntaria in causa, quatenus ex amore otij fugiunt laborem, quo faciliè possent sibi necessaria acquirere, si vellent.

66 His positis difficultas est Primò, vtrum omnibus his pauperibus danda sit eleemosyna. videtur enim secundi & tertij generis pauperibus non esse dandam eleemosynam: quia cum paupertas ijs sit voluntaria, non videntur esse in vlla necessitate: nam in eo quod quis voluntariè patitur, non potest dici pati necessitatem.

Secundò, vtrum pauperibus malis siue viuentibus in peccatis mortalibus danda sit eleemosyna; videtur enim ijs non esse danda. Quia Ecclesiastici 12. dicitur: *Da bono, & non receperis peccatorem; benefac humili, & non dederis impio: prohibe panem illi dari, ne in ipsis potentior te sit, &c.*

Luc. 16. dicitur: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis; ut cum defeceritis recipiant vos in aeterna tabernacula.* Item Matth. 25. Christus ait, *Quamdiu fecistis vni ex fratribus meis minimis, mihi fecistis.* Quibus Evangelij locis Scriptura nos solum hortatur ut demus eleemosynas fratribus Christi, & ijs quinos possunt recipere in aeterna tabernacula; quales sunt soli iusti.

Tertiò, est difficultas vtrum eleemosyna sit danda inimicis.

Quartò, an in danda eleemosyna sit aliquis modus seruandus.

Quintò, vtrum donatio eleemosynæ facta ei qui fingit se esse pauperem, sit valida: multi enim absolute docent esse inualidam, quia fit ex errore circa principale motuum dandi, atque ita est omnino inuoluntaria, & consequenter irrita.

67 CONCLUSIO I. Non solum pauperibus primi, sed etiam secundi generis ex recentibus num. 65. danda est eleemosyna. Est communis omnium Catholicorum. Probatur Primò, quia hi patiuntur veram necessitatem eorum quæ ad corporis sustentationem sunt necessaria, idque ob amorem Christi & veræ perfectionis: unde tanto magis misericordia digni sunt, quo causa ob quam illam necessitatem patiuntur est magis digna amore & favore. Secundò, quia Christus eiusque discipuli erant simili ratione voluntariè pauperes, & vivebant ex priorum liberalitate, siue eleemosynis: ut patet Iohan. 12. v. 6. & tamen quæ ijs dabantur, habebant veram rationem eleemosynæ. Tertiò, quia tota Ecclesia hoc censet, dum approbat institutum Religiosorum mendicantium, & laudat eos qui ipsis dant eleemosynas.

68 Ad argumentum contrarium, nego assumptum eiusque probationem generatim sumpta; tunc enim solum sunt vera, quando aliquis non habet iustam causam voluntariè suscipiendi pauperem, aut aliquid simile ex quo sequitur indigentia victui: secus est quando, quis eiusmodi habet causam, siue quando compellitur pati in ediam ne perdat maius bonum: ut patet in nobili, qui casu exutus omnibus bonis maualt pati indigentiam rerum necessarium, quam exercere artem mechanicam suo

Cominck de act. supernat.

statu indignam, siue cum periculo perdendi nobilitatem: qui sine dubio dignus est misericordia, & obiectum eleemosynæ. Eademque imò multò prior ac fauorabilior est causa Religiosorum, quæ eam necessitatem viuendi ex eleemosynis subeunt, ne perdant perfectionem Eudangelicam, & ut operam quam aliis impensuri essent querendo victui, impendant diuinis laudibus decantandis, & proximorum salutis procurandæ.

69 CONCLUSIO II. Pauperibus tertij generis, quando tales esse sciuntur, non est communiter danda eleemosyna, nisi fortè repente in aliquam grauem necessitatē inciderint, ex qua se aliter expedire non possunt: aut nisi data aliqua eleemosyna putarentur ad meliorem frugem reducendi. Ita Lorea 2.2. se. 3. disp. 37. nu. 10. Sorus in deliberatione in causa pauperum, c. 3. & Valquez tract. de Eleemosyna cap. 2. dub. 1. ubi pulchrè variorum hac de re sententias conciliat. Probatur Primò, quia, cum talibus ipsa paupertas siue indigentia siue vlla sufficienti ratione sit voluntaria in ipsa causa, non possunt dici verè pati necessitatem, atque ita in eos valet argumentum allatum num. 66. Secundò, quia tales homines sunt communiter pleni vitij, ac ita nocui reipublicæ; à quibus auocarentur si nemine ijs dante eleemosynam compellerentur vili labore victum querere: & contra per eleemosynas in otio, desidij, vitijque quæ ex his nascuntur, fouerentur. Vnde in eiusmodi etiam bene conuenit quod scribit S. Augustinus epistola 48. ad Vincentium Donatistam, aliquantò post initium. ubi ait: *Vilius esuriens panis tollitur, si de cibo securus iustitiam negligebat; quam esuriens panis frangitur, ut iniustitia seductus acquiescat.* De similibus etiam potest intelligi Apostolus 2. ad Thessal. cap. 3. ubi ait: *Audiui- mus enim inter vos quosdam ambulare inquietos, nihil operantes, sed otiose agentes, &c.* Propter quos prius dixerat, *Nam & cum essemus apud vos, hoc denunciabamus vobis, quandoquidem si quis non vult operari nec manducet.*

Canendum tamè ne mendicos occurrentes nimis faciliè credamus esse tales; atque ita exponamus nos periculo negandi eleemosynam ijs qui verè grauem necessitatem patiuntur; in quo longè grauius erratur quam in contrario. Quare præstat ex errore lapsius dare eleemosynam non indigenti, quam semel eam negare indigenti.

70 CONCLUSIO III. Etsi peccatoribus, quæ tales sunt, non sunt dandæ eleemosynæ, ita nimis vtrum eos in suis peccatis foueamus, siue id intendamus, siue etiam solum aperte aduertamus hoc per nostram dationem de facto fieri; extra dictum tamen casum sunt ijs dandæ eleemosynæ quatenus sunt homines, siue quatenus id necessarium est ut vitam sustentare possint. Ita cum communi sententia Bellarminus lib. 3. de bonis operibus cap. 12.

Prior pars patet, quia sicut bonum est ac opus caritatis aliquem à peccatis abstrahere, ita malum est & contra caritatem ipsum in ijs fouere. Et hanc partem aperte probant verba D. Augustini allata nu. 69. qui dictæ epistola fusè eam

zz

pro-

Lorea.

Sorus.

Valquez.

August.

2. Thessal. 3.

70

Bellarmin.

probat, ex eaque etiam precedens conclusio confirmatur.

71
Galat. 6.

Secunda pars probatur Primò, ex cap. 6. ad Galatas, ubi iubemur operari bonum ad omnes, maximè autem ad domesticos fidei, siue ad fideles: ubi Apostolus apertè iubet nos etiam Ethnicis benefacere, qui tamen mali erant. Secundò, quia Matth. 5. Christus iubet ut beneficiamus etiam ijs qui nos oderunt, & subdit: *Ut sitis filij Patris vestri qui in celo est, qui solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos.* Vbi expressè nobis præcipit, hac in re Deum imitari benefaciendo etiam iniustis. Deinde hæc pars satis patet ex dictis disput. 24. dub. 5. & 6. ubi ostendi nos etiam inimicos nostros debere diligere, qui tamen communiter sunt peccatores.

72

Ad locum Ecclesiastici contra allatum nu. 66. Respondeo eum solum probare priorem partem conclusionis, ne scilicet ita impio beneficiamus, ut eum in impietate foueamus, ut patet vel ex ultimis eius verbis, *Ne in ijs potentior te sit,* siue ne in sua impietate præualeat contra te. Adde, Ecclesiasticum videri ibi loqui non de danda eleemosyna verè indigenti, sed de ijs quibus conuenit nos benefacere extra eorum necessitatem.

Ambros.

Ad locum S. Lucæ, aliqui respondent per amicos ibi intelligi angelos, quos nobis demeremur, dum ijs qui eorum curæ commissi sunt, hic bene facimus. Ita S. Ambrosius in dictum locum. Alij volunt nobis ibi suaderi ut demus præcipue eleemosynas pauperibus sanctis, & præsertim ijs qui sua omnia propter Christum deseruerunt, quorum est regnum celorum, quique in eo thesauros habent, & cum Christo in nouissimo die futuri sunt iudices, ut dicitur Matth. 5. v. 3. & c. 19. v. 21. & 28. Ita S. Hieronym. contra Vigilantium c. 5. & S. August. serm. 35. de verbis Domini c. 1.

Matth. 5.
Hieron.
August.

73

Sed et si hæc explicationes probabiles sint, tamen hæc secunda ita intelligenda est, non quasi Christus velit nos his solis dare eleemosynas (hoc enim cum alijs verbis Scripturæ apertè pugnat) sed solum quod suadeat, ut quando non possumus omnibus dare eleemosynas, ceteris paribus demus potius dictis quam alijs. Verius igitur & magis literaliter ad dictum locum Respondeo, Christum ibi non velle ut demus eleemosynas ea intentione ut ipsi pauperes per se nos in celo recipiant (hoc enim facere non ipsorum, sed solius Dei est, præsertim cum sæpè diutius viuunt, quam ipsi dantes; & consequenter necdum sint in celo, cum alij in eo essent recipiendi) sed ut ipse Christus (qui in ijs eleemosynas recipit, libique eas factas censet, ut dicitur Matth. 25.) eorum etiam nomine nos in celo recipiat. Quod etiam locum habet, quando propter Christum damus malis eleemosynam, ut mox ostendam.

Qua ratione
pauperes di-
cantur reci-
pere in æter-
na taberna-
cula eos, à
quibus ac-
ceperunt eleemosy-
nas.

Matth. 25.

74

Ad locum Matthæi, Respondeo omnem hominem viatorem, & præsertim fidelem, quantumvis malum, ibi vocari fratrem Christi: nam, ut ostendi disput. 24. dub. 5. omnis talis dicitur noster frater & proximus, & iubemur eum diligere, quamuis autem impij, præsertim infi-

deles, non sint actu verè fratres ac membra Christi; sunt tamen tales ex voluntate & desiderio Christi, qui cupit eos esse bonos, & si viam suam membra, adeo ut etiam in hunc finem suum sanguinem fuderit. His adde, Christum ibi dicere, *Quamdiu fecistis vni ex his fratribus meis minimis, &c.* quod ultimum verbū probabiliter videtur addidisse, ut significet se etiam loqui de fratribus impijs; ideoque eos vocet minimos, sicut Matth. 5. v. 17. dicit eum qui bene docet & malè agit, vocandum minimum in regno celorum, id est futurum reprobū, tamquam qui minus habeat; quia constat talem non intraturum celum.

Ex his tamen omnibus satis patet, quando non potest dari eleemosyna omnibus, longè præstare eam dari ijs, & præsertim ijs qui propter Christum paupertatem sponte sunt amplexi, quam impijs; nisi fortè hi sine cōparatione grauiore necessitate premantur, aut etiam credantur per accptionem eleemosynæ certò conuertendi: tunc enim horum salus spiritalis videtur præponenda aliorum bono corporali.

CONCLUSIO IV. Danda est etiam eleemosyna inimicis, quando ea indigent. Est communis Doctorum, & clarè patet ex dictis disput. 24. dub. 5. & 6. ubi ostendi etiam inimicos esse amandos, iussque benefaciendum esse, prout Christus expressè præcipit Matth. 5. v. 44.

Excipiunt communiter DD. Primò casum, quo inimicus in sua contra nos malitia ea ratione foueretur, & fieret potentior ad nos opprimendos, unde inferret etiam, si viderem inimicū meum extrema fame laborātem, & certò scirem eum mihi illaturum mortem si diutius superuueret, me posse eum non pascere, quia subtractio eleemosynæ eo casu esset iusta defensio vitæ suæ. Et hoc satis patet ex dictis n. 72. huc enim propriè spectat locus Ecclesiastici 12. Sed ille casus vix potest accidere, quia vix possumus vniquam habere vlla clara argumenta ex quibus sufficenter colligam, inimicum meum extremè indigentem, si iam à me pascatur ac in vita conseruetur, permanfurum mihi mortalem inimicum, & non potiùs tanto beneficio conuertendum ad amicitiam; nisi fortè sit publicus latro aut similis facinorosus, quales raro condonatione vitæ fiunt meliores.

Addit Lorca 2.2. sect. 3. disput. 37. n. 20. non esse dandam eleemosynam hostibus reipublicæ etiam extremè indigentibus, quamdiu cum iis iustum bellum geritur; secus verò esse quādo cum ijs induciæ factæ sunt. Probat, quia in priore casu possumus hostem reipublicæ iuste occidere, & consequenter negare cibum indigenti; secus autem ait esse in secundo casu.

Sed neutrum est generatim verū; nam si durante ex parte nostra iusto bello reperirem vnū ex hostibus extrema fame laborātem, & crederem me dando ei cibum omnino posse efficere ut in posterum deserat hostes, aut saltem numquā ampliùs noceat meæ reipublicæ, tenerer ei dare cibum, si possem, non minùs quā meo priuato inimico: quia cum sim priuatus non possum alia ratione hostem occidere, quā quatenus id necessarium aut saltem valde vtile est ad bonū meæ

Qua ratio-
ne impij pos-
sunt dici membra
accratis
Christi.

71
Ex his de-
mosynas pro-
ferantur ad
pauperes.

76

Matth.

Encl. 12.

77

Lorca.

An hostes
reipublicæ
dandi de-
mosynas.

meae reipublicae promouendum, aut ad malum auertendum: quod in hoc casu non accidit. Contra verò si tempore induciarum reperiam hostem reipubl. extremè laborantem fame, quem credo si conualescat finitis inducijs iniuste grauius nociturum reipublicae meae, non solum possum, sed etiam teneor ei non succurrere.

78
Per se quoad
danda eleemo-
synam
non est di-
stinctio inter
hostem pu-
blicum &
priuatum:

Quare per se loquendo hae distinctiones non videtur facere ad rem praesentem; nam si inimicus siue publicus siue priuatus, siue durante bello, siue tempore induciarum extremè egeat, teneor ei, si possum, succurrere, posito quòd credatur in posterum amplius non nociturus; secus si credatur mea eleemosyna adiutus aut mihi aut reipublicae grauius nociturus; atque ita ex hac parte videtur eadem horum ratio.

79
est tamen
aliqua per
accidens.

Per accidens tamen potest hic aliqua reperiri differentia. Primo, quia, etsi inimico priuato extremè laboranti, à quo mihi meritò timet graue malum si periculum euadat, possum nosse succurrere; tamen ad hoc non obligor, sed licet etiam ei succurro. Secus est de inimico reipublicae, à quo, si periculum enaserit, meritò grauiora mala timet reipublicae: teneor enim huic non succurrere. Ratio est, quia possum priuatum meū bonum corporale contemnere, & alterius bono posthabere; secus est de bono reipublicae. Secundo, quia facilius contingit me sine meo incommodo succurrere inimico priuato extremè laboranti, qui tali beneficio allectus communiter futurus est amicus; quam hosti reipublicae; quia huius hostes ob similia priuata beneficia communiter non desinunt partem aduersam tueri, cuius causam etiam cum certo vitæ periculo credunt sibi esse defendendam; atque ita raro contingit me ijs siue periculo reipublicae posse succurrere. Item rarius id contingit durante ipso bello, quam tempore induciarum. vnde etiam consequenter ob has causas communiter ferè contingit quòd debeam succurrere inimico priuato extremè laboranti: non tamen hosti reipublicae. & facilius contingit quòd huic debeam succurrere tempore induciarum quam durante bello, quia in hoc casu rarius cessat omne periculum. Et cum his conditionibus & restrictionibus intellecta sententia Lorca est vera.

80
Ordo ser-
uandus est, ut
quando non possumus om-
nibus succurrere, ceteris paribus prius succurramus
magis coniunctis, quam alijs; & melioribus
prius quam minus bonis; & maiorem necessita-
tem patientibus prius quam minore pati-
entibus: prout disp. 25. dub. 8. dixi de ordine dile-
ctionis: est enim hic eadem ratio; imò ordo dile-
ctionis praecipue obligat ut in necessitate vni
prae altero succurram ipsius siue bonum promoue-
eam: & raro obligat ad aliquid aliud positiue
agendum. Quando autem hae conditiones di-
uersae in diuersis reperiuntur, ut si melior aut
coniunctior minus indigeat, prudenter discer-
nendum quae praeualeat.

81

CONCLUSIO VI. Etsi propter Doctorum auctoritatem sit valde probabile eleemosynam omnino inualide dari fingenti paupertatem; tamen credo communiter eam donationem esse validam, & solum irritabilem pro voluntate

Coninck de act. supernat.

dantis. Ita Soto lib. 9. de Iustitia q. 7. art. 3. sub finem.

Prior pars prob. quia eam docet Alexander in 4. p. q. 86. membro 3. art. 3. Altiſiodor. lib. 4. c. de restitutione. Adrianus in 4. tractatu de restitutione, §. Consequenter quero virum indistincte tenetur homo. Nauarrus in Summa c. 17. nu. 107. & in Apologia contra Sarmientum qu. 1. monito 28. n. 1. Medina q. 24. Cod. de restitut. Scotus in 4. dist. 15. q. 2. a. 3. Angelus v. Restitutio, 1. & v. Turpe lucrum, §. 3.

Secunda pars probatur, quia, ut fusiùs ostendi tom. 2. de Sacramentis disput. 14. num. 95. & disp. 23. dub. 9. contractus & pacta, quibus error aut dolus causam dedit, si error non versetur circa substantiam actus, sunt omni iure valida, & solum pro voluntate decepti irritabilia. In dicto autem casu error non versatur circa substantiam actus, sed solum circa rationem motiuam dandi. Eodem planè modo, sicut quādo aliquis intendit contrahere cum aliqua praecise ut suscipiat ex ea filios, & quia putat eam esse fecundam, eò quòd fingat se esse iuuenulam ac habuisse filios ex priore marito; cum tamen sit senex & sterilis: quo casu matrimonium esse validum nemo dubitat. Nec refert quòd ille donator solum intendat eleemosynā dare, quia ut ipsius donatio habeat veram rationem & meritum eleemosynae, sufficit quòd accipiens inuincibiliter putetur esse pauper, & tanquam tali ei aliquid detur.

Ex quo patet solutio argumenti positi n. 66. nam cum talis error non versetur circa substantiam actus, quae praecise consistit in eo quòd talis res per modum eleemosynae detur huic praesenti personae, in quibus talis dans non errat; actus non est inuoluntarius secundum substantiam, sed solum secundum quasdam circumstantias, scilicet quatenus datur personae quae falsò putatur esse pauper; ob quod non redditur de facto irrita donatio, sed solum irritabilis, ut fusiùs ostendi locis supra citatis.

Tenetur tamen accipiens aperire alteri dolum, quia tenetur tollere deceptionem, in qua alium iniuste induxit, & relinquere ipsi liberum ut rem datam si velit recipiat. Aut si deceptor nolit hoc facere, tenetur rem acceptam restituere. Quae fusiùs ostendi tomo 2. de Sacramentis disput. 31. dub. 1. Vbi etiam explicui quando error versetur circa substantiam actus, & quando non.

Disputant hic etiam Doctores, cui talis debeat restituere acceptam eleemosynam. Et quidam dicunt eam pauperibus esse restituendam, non autem ipsi danti, qui iam eius dominium à se abdicauit, intendendo eam simpliciter dare pauperibus. Ita Nauarrus c. 17. n. 107. Scotus in 4. d. 15. q. 2. art. 3. Adrianus in 4. tractatu de restitut. §. supra citato in fine. Sed melius Lessius de Iustitia c. 18. dub. vlt. in fine, putat per se loquendo restituendam esse donatori, si commode fieri possit, & credatur ipse cognita fraude hoc desideraturus. Quod praesumendum est quando res est magni momenti, quia, ut patet ex dictis, ipse habet ad hoc ius, nec alij pauperes vllum ius in eam eleemosynam acquiſiuerunt.

Zz 2

Alexand.
Altiſiod.
Adrian.
Nauar.
Medin.
Scotus.
Angelus.

Ad rationē
eleemosynae
sufficit quòd
accipiens
credatur
pauper.
82

83

Nauarr.
Scotus.
Adrian.
Lessius.

runt. Quando autem res est parui momenti, aut donatori, quia incognitus aut procul abest, restitui nequit; danda est alijs pauperibus, quia præsumentum est hanc donatoris esse voluntatem. Hoc inquam faciendum sequendo eam sententiam, quod donatio illa sit omnino inuoluta: posita autem nostra sententia, faciendum est quod supra dixi. quod si deceptor nequeat vlla ratione deceptum adire aut consulere, eiue restituere rem acceptam, licet eam retinet: oprimè tamen faciet confessorius si pro penitentia ei iniungat, ut eam det pauperibus, & veritate palam cognita à magistratu ad hoc cogendus est.

D V B I V M VII.

Vtrum sit obligatio dandi eleemosynam, & qualis?

34 **D**Vplex hic est difficultas. Prima, vtrum sit vera obligatio siue præceptum dandi aliquando eleemosynam. Secunda, vtrum aliquando obligemur ex iustitia dare eleemosynam constituto in extrema necessitate. Multi enim putant habentem superflua teneri ex iustitia dare eleemosynam constituto in extrema necessitate. Ita Turrecremata in c. Si feneraueris. dist. 86. Sarmiento lib. de Ecclesiasticis redditibus puncto 3. cap. 4. n. 3. & sequentibus. Caietan. Aragon. 2. 2. q. 118. art. 4. Aragon ibid. q. 32. art. 5. Probant Primò, quia D. Thomas 2. 2. q. 118, art. 4. ad 2. vocat hoc debitum legale; ut autem patet ex q. 80. a. 1. in corpore, idem est apud eum debitum legale & debitum iustitiæ. Secundò, quia in extrema necessitate omnia sunt communia: ergo qui sibi superflua non dat extremè indigenti, retinet bona pauperis, & peccat contra iustitiam. Antecedens probatur, quia iure naturæ omnia sunt communia, & rerum diuisio solo iure positio introducta est, quæ in extrema necessitate cessat, ne iuri naturæ præiudicet. Tertio, quia alijs magistratus non posset diuites cogere ut extremè indigenti darent eleemosynas: hoc autem est falsum: ergo & id vnde sequitur.

Probatur Quartò, ex Patribus, qui passim docent, diuitem sibi superflua non dantem pauperibus retinere aliena, & similiter peccare, ac si ea raperet; quæ sunt aperte contra iustitiā. Hinc S. Ambrosius serm. 81. sub finem: Sed ais, inquit, Quid iniustum est, si cum aliena non inuadam, propria diligentius asseruem? & impudens dictum! propria dicis: quæ? Ex quibus reconditis in hunc mundum detulisti? & infra: Non minus est criminis habenti tollere, quam cum posui & abundes indigentibus denegare. Basiliius orat. in diuites, in illud Luca 12. Destruam horrea mea, &c. sub finem ait: At tu nonne spoliator es, qui, quæ dispensanda accepisti, propria re putas: est panis famelici, quem tu tenes, &c. August. in psal. 147. explicans illud: Confortauit feras portarum tuarum, ait: Superflua diuiti necessaria sunt pauperi; aliena retinet, qui ista tenet. Similia habet plures alij Patres. Alij volunt hanc sententiam esse veram respectu Ecclesiasticorum habentium redditus Ecclesiasticos honestæ suæ sustentationi

superfluos. sed de his melius agemus dub. 10.

Ut autem hæc clarius explicentur, prius nobis disputandum est, vtrum & qua ratione omnia iure naturæ olim fuerint, aut etiam iam in extrema necessitate sint communia.

Vbi Nota Primò, varias esse res, quæ sub alienum dominium possunt cadere, aut etiam possunt esse omnibus communes. Primò, sunt ipsi homines, qui possunt fieri serui, & ita esse sub dominio alterius; Secundò, actiones hominum externæ; Tertio, fructus harum actionum, siue res, industriæ & labore hominum confectæ, qualis respectu figuli est olla; Quarto, sunt campi siue agri, maria, & flumina; Quintò, res ab his sponte productæ, v.g. mineralia, pisces, ac siluestria animalia, ac plantæ, earumque fructus; Sextò, res, quas terra industriæ ac labore hominum culta producit, ut sunt frumentum, vinum, &c. Et hæc non sunt fructus soli terræ, siue naturæ, sed maxima ex parte sunt simul fructus industriæ hominum.

Nota Secundò, res, quas terra aut aqua sponte producit, esse duplices. Quædam enim omnibus obuiæ sunt, ita ut iam natæ sine labore à quouis possint occupari, si id nemo prohibeat; qualia sunt gramina, silvarum ligna, & similia, quæ passim vbique sine vilo cultu nascuntur. Aliæ verò non possunt acquiri sine magna labore ac industria: tales sunt feræ, pisces maris aut fluminum, mineralia, & similia, & his etiam saltem ex parte similes debent reputari res priores, siue quæ quibusdam in locis omnibus obuiæ nascuntur, respectu locorum aut temporum in quibus reperiri nequeunt, nisi singulari hominum industria ad ea loca aut tempora transferantur aut conseruentur. qualia sunt mala granata, aromata, &c. respectu regionum in quibus non nascuntur: & omnes ferè fructus respectu hiemis, in qua non nascuntur, sed æstate nati hominum industria colliguntur, conducuntur & in hiemem conseruantur.

Inter dictas autem res hæc præterea est differentia, quod priores res seclusa rerum diuisione, antequam colligantur possint dici communes siue ipsius communis, quia sunt plenè in huius potestate, cum quouis pro libitu possit eas capere, ipsæque pro arbitrio uti; secus est de secundis rebus, quas nemo potest pro libitu capere: nam sæpè quantumvis homines ad hoc maxime conentur; frustra tamen id faciunt, nec eas capiunt quas volunt, sed quas fors obtulerit. Ideoque hæc res antequam capiantur, etsi possint dici esse communis, quatenus hæc habet ius eas capiendi; tamen propriè loquendo potius nullius sunt, sicut feræ quæ iam sunt in magna & aperta alicuius domini silua in qua ipse solus potest venari, non sunt verè ipsius, sed nullius: vnde etsi illi, qui eas inuito domino siluæ in hac capiunt, peccent contra ipsius ius in ea venando, tamen acquirunt feræ captæ dominium tamquam rei ad se potæ, quæ ideo sit primò occupatis. ut cum communi sententia docet Lessius de Iustitia c. 5. dub. 9. concl. 3. vnde etiam eiusmodi feræ antequam capiantur dicuntur communiter liberæ, quasi sub nullius potestate siue dominio constitutæ.

CON-

Turrecrem.
Sarmient.
Caietan.
Aragon.
D. Thom.

Ambros.

Basiliius.

August.